


Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849, enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.



249

apud Colchos fuit reconditum et inventum, putant illi idem esse Cholos et Colchos, quod tamen non est: nam Colchidis regio est quidem asiatica, sicut et Cholos, sed longe in septentrione distenta usque ad littora ponti Euxini, quem habet ad occidentem, montem Caucasum ad orientem, a septentrione Sarmatiam et a meridie Capadociam, quae propinquior Rhodo, et tamen latae provinciae inter hanc et illam mediant: scilicet grandis pars maris Aegei, et Caria, Lycia, Pamphilia et juga montis Tauri, et inde sequitur Capadocia, a qua longa itinera sunt usque ad littora ponti Euxini, qui se flectens in occidentem nostras germanas regiones contingit, Danubium domesticum nobis, a sinu nostro emanantem, in se suscipit. Sic ergo patet, non unum esse Cholos et Colchos, nec apud Cholocenses fuisse vellus aureum, sed apud Colchenses. Non enim difficile fuisset Jasoni et nobilibus Graeciae a Thessalia navigare Rhodum, cum mare Aegeum utriusque littus, Thessalonicense et Cholocense contingat. Omnes autem mentionem facientes de Jasonis itinere (B) eum et omnes Argonautas plurimum audaciae commendant et mare indevirginatum primum sulcasse dicunt, quod utique mare Aegeum et Adriaticum non fuit inter Thessaloniam et Rhodum, sed longissima maris itinera terrarumque arripuit insueta; in quibus belluas marinas et crudeles terrae bestias vincens et penetrans in Colchidem devenit.

Videamus historiam, ut satisfiat evagatorio, nec enim liber iste evagatorium diceretur, nisi ex hoc in hoc evagaretur. Ovidius et Servius, Augustinus etiam de civitate Dei Lib. III. C. 7. recitant, quod Athamos, rex Thebanorum, filium Phrixum et filiam Hellen habuit, quibus mater arietem aureum tradidit, ut novercam fugerent, quae machinabatur eorum in mortem, eaque jubente conscenderunt ambo, frater et soror, aurei velleris arietem, qui repente cum eis in mare saltavit et per ignotas eis regiones portavit; quos cum sic ferret, contigit, ut Helle perterrita caderet in pontum, a quo casu illa maris particula nomen aeternum accepit et Hellespontus usque hodie nominatur. Phrixus autem procedens, quo eum aries tulit, devenit usque in Colchidem regionem et arietem ibi superis sacravit, ubi templum juxta ostia fluminis et locus nobilis Phrivi aurei velleris ariete multo tempore colebatur, cui etiam rex Colchidis filiam suam uxorem tradidit. Porro, hoc sic stante, auditum fuit de vellere aureo, quod multi quidem cupie-

260

258

264

254

269

249

309

209

359

159

Ende

Anfang